MORBI BRIGHTII EXEMPLUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORES SIBI CONCEDANTUR
DIE XXVI MENSIS SEPTEMBRIS ANNI MDCCCLXII
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
ADOLPHUS BERNIGAU,
SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:
E. FISCHER, CAND. MED.
L. KLEINE, DR. MED.
F. W. HOFFMANN, DR. MED.

GRYPHIAE.
TYPIS FRIDERICI HACHE.

PARENTIBUS CARISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIETATIS GRATIQUE ANIMI

DOCUMENTUM ESSE VULT

FILIUS.

Historia morbi.

Anamnesis.

Joachimus Lübbe, tegularius viginti duos annos natus die vicesimo mensis Septembris anni h. s. LXI. in nosocomium Gryphicum receptus duobus annis ante pectoris morbo laboraverat. Qui morbus cum horripilatione vehementi unica aegrotum invaserat, quam dolores sinistri lateris sequebantur. Per sex hebdomadas, quum morbo retentus atque lecto affixus fuisset, plane sanus fuit usque ad exordium morbi, cui describendo equidem operam sum daturus.

Propter aegroti negotia quotidiana perfrictiones evitari non possunt. Praeterea per quinque annos prope mare habitabat.

Sex circiter hebdomadibus ante quam in nosocomium receptus est subito calore atque sudore affectus sensorium ejus paene sublatum est; deinde nausea, vomitus, vertigo effecerunt, ut aegrotus lectum peteret. Post dies quatuordecim aegrotus vehementissimis doloribus dorsi vexatus est, qui usque in latera porrigebantur. Paulo post aegrotus ipse colore quidem fusco urinae perterritus est, attamen ejus quantitatem fuisse auctam nescit, quamquam saepe emisisse urinam concedit. Quum quatuordecim diebus ante quam in nosocomium receptus est hy-

drops exstitisset, quo paulatim abdominis tegmenta, scrotum, femora, crura, aliae partes correptae erant, aegrotus saepe angore, angina pectoris vexatur. Ciborum appetentia est deminuta. Quo factum est, ut aegrotus debilitaretur. Alvi evacuationes non constantes erant.

Status praesens.

Aegrotus corpus robustum, faciei colorem satis sanum, cutem extremitatum atque trunci valde pallidam; membranas autem mucosas satis rubras praebet. Corpus ipsum hydrope expansum est, oedemate integumenta et alvi et thoracis, scrotum, femora, crura affecta sunt, quum brachia et manus oedemate non sint correpta. Oedemate maximo intumescunt dorsa pedum. Thorax bene convexus, respirationibus aequaliter atque congruenter expanditur. In thoracis anteriore et superiore parte spatia intercostalia sonum sonorum atque clarum praebent. A costa quarta sonus cordis est attenuatus, juxta sternum usque ad marginem sterni dextrum porrigitur, in sinistro latere in linea mammillari sub papilla finitur. Pulsus cordis in spatio intercostali quinto sub papilla percipitur. In dextro thoracis latere sonus 1″ regionem axillarem versus supra papillam est attenuatus. Finis oppressionis percussione regionem versus axillarem et dorsalem in superioribus partibus percipitur. In sinistro latere attenuationis fines fere sunt iidem. Sonus hepate attenuatus incipit a processu xiphoideo, in dorsi regione sonus ab angulo inferiore scapulae attenuatus est. Respiratio autem in anterioribus partibus thoracis est vesicularis, quam medici dicunt, prope sterni sinistrum mar-

ginem in spatio intercostali II et III rhonchi sibilantes auribus percipiuntur, in dextro autem margine in spatiis paulo inferioribus audiuntur. In dorsi dextra parte superiore juxta columnam vertebralem inspiratio est vesicularis, exspiratio paene bronchialis. In ceteris dorsi regionibus respiratio vesicularis est. Ubi sonus est attenuatus, ibi respiratio auribus vix percipi potest, plerisque in partibus rhonchi percipiuntur et sinistra in parte et in dextra. In superiore autem sinistra thoracis parte exspiratio sonora non reperitur. Sonus cordis clari sunt. Primus valvulae mitralis sonus est elevatus et expansus, pulsus elevatus.

Urina nubila, cerina sedimentum mucosum demittit et magnam albuminis copiam continet. Microscopio multa epithelia, corpuscula sanguinis, satis multi fibrini cylindri clare circumscripti apparent.

Diagnosis.

Si quidem statum praesentem atque anamnesin respicimus diagnosis dubia esse non potest. Impetus enim repentini et vehementes regionis sacralis, dolores nausea, vomitus, scintillatio oculorum suspicionem excitans inflammationem adesse renum.

Porro si mala illis, quae supra enumeravimus, adjuncta ut oedema extremitatum, ascitem, hydrothoracem, albuminis copiam urina repertam, mutationesque, quae in illa microscopio inveniuntur, spectamus, dubium esse non potest, quin morbus Brightii magnum gradum assecutus sit. Ex eo, quod sonus corde oppressus usque ad dextram lineam sternalem pervenit et prior valvulae mitralis

sonus plenus ac tensus pulsusque plenus est, opinio omne cor hypertrophia affectum esse affertur.

Therapia.

Ad inflammationem renum parenchymatosam, qua in re morbus Brightii praecipue positus est, removendam, prioris quidem temporis medici methodum antiphlogisticam, venaesectionibus factis idoneam esse putabant; hac autem ratione hydraemia, quae albumine e sanguine remoto efficitur, augetur, eoque facilius hydrops oritur, quam ob rem medico id potius spectandum est, ut symptomata inflammationem sequentia, quae anaemia et hydraemia praecipue in lucem proferuntur, tollat, quod optime cibis nitrogenio abundantibus, ut lacte, ovis, carne etc., qui albumen cum urina perpetuo remotum supplent, efficitur. Praeterea ferri chinaeque praeparata, quae eo maxime corpus roborant, quod corporis humani materiarum permutationem retardant, adhibenda sunt. Insuper respiciendum est, quod ferrum ad corpuscula sanguinis rubra formanda praecipue attinet. Hydrope jam ineunte methodo diaphoretica et medicamentis laxantibus utendum est; quam tamen methodum Niemeyer intus adhibere vetat potiusque, ut balneis calidis, quae corporis involutio laneis tegumentis efficienda sequitur, sudatio propellatur, suadet. Qua sanandi ratione, decocto chinae simul adhibito, in eo quoque, quem nos tractamus, casu usi sunt, qua quum nihil efficeretur olei croton. gtt. iij. ad emuls. ℥vj. alternis horis. Qua therapia amplius usi sint, ex reliquo morbi decursu intelligetur.

Continuatur morbi historia.

Quod attinet ad urinam per omne morbi tempus excretam ejusque pondus specificum, conspectum addidimus per singulos postremi morbi temporis dies descriptum. Medicamentis, quae antea nominavimus, adhibitis, aegrotus XXVII d. m. Sept. faeces copiose dejecit, abdominis doloribus vexabatur, postquam praecedentibus diebus aliquoties vomuerat.

$\frac{2}{10}$ Oedemata post copiosas aquosasque dejectiones valde recesserunt; angina pectoris sublata; conditio universalis tamen pejor est, magnusque pallor et anaemia animadvertuntur, quam ob rem mixt. Frank. datur

$\frac{5}{10}$. Hydrops auctus est, tensio abdominis, dyspnoea orta, permagna est, ad dejectiones aquosas efficiendas ol. Croton. ter per diem datur, appetitio ciborum non ita magna est, sitis mire aucta, pulsus non frequentior factus neque temperatura aucta; symptomata intoxicationis uraemicae adhuc desunt.

$\frac{7}{10}$. Oedemata post duas aut tres dejectiones aquosas per diem paululum recesserunt, aegroto, quum oleo Crotonis sumpto semper vomat, extr. Coloq. extr. Aloës cum Sapon. jalap. datur.

$\frac{10}{10}$. Oedemata praecipue in cruribus creverunt, in femoribus multo sunt minora atque etiam penem, scrotum, abdominis integumenta invaserunt. Ascita aucto duobus abdominis lateribus rete Malpighi rupturis affectum est, meteorismus magnus, intestina in superiores partes repressa sunt ubi spatium 25″ circuitu complent. Hepar replicatum et in superiorem partem repressum est sonus

percussionis hepate oppressus in linea mammillari $1\frac{1}{2}''$ supra costarum arcum auditur, inde usque ad spatium intercostale quartum procedit. Vespertino tempore dyspnoea crevit, angor et angina pectoris permagna abdominis tensione efficiuntur. In pulmone dextra, ubi superior hepatis margo post costam quartam plane apparet, rhonchus mucosus auditur. Sonus arteriae pulmonalis multo altior, sensorium non affectum est. Flor. Benz. gr. V. sexies per horam.

$\frac{15}{10}$. Status idem, aegrotus facie est pallida et collapsa.

$\frac{19}{10}$. In angulo scapulae dextrae et sinistrae inferiore sonus percussionis oppressus praebetur, respiratione impedita, fremituque pectorali minuto. Medicamenta drastica non amplius dantur, sed mixtura Frankii et tartarus depuratus.

$\frac{23}{10}$. Exstiterunt capitis dolores praecipue circa regionem frontalem, queritur aegrotus de scintillatione oculorum et bis vomit, sed post doses quatuor flor. Benz. satis bene se habet et per noctem quieto somno fruitur.

$\frac{27}{10}$. Anaemia majore reddita ferrum lacticum et ut faeces satis aquosae dejiciantur tartarus depuratus dantur.

$\frac{1}{11}$. Quum hydrops methodo roboranti non cessisset propter obstructiones aegrotus praeter ferrum lacticum Decoct. Coloq. (ʒβ—℥vj) per binas horas ℥β accipit.

$\frac{4}{11}$. Oedema in toto corpore summum gradum assecutum est, praecipue in penis et scroti cute. Alvus valde extensa, rete Malpighi multis rupturis affectum In latere thoracis et dextro et sinistro oppressio percussionis circa papillam utramque incipit, in dorso 1″ infra scapulae utriusque angulum inferiorem. Altiores exspiratio-

nes seu inspirationes permutant fines oppressionis percussionis, iidem autem inveniuntur situ corporis mutato.

$\frac{15}{11}$. Oedema in omnibus corporis partibus, quae affectae sunt valde progreditur, ita ut compluribus abdominis et crurum locis sub epidermide vesiculae oriantur, quae tantam copiam liquoris serosi emittunt, ut lectum plane permanet. Alvus in dolii modum expansa est, oppressio percussionis hepatis talis se praebet, qualis tempore erat postremo. Urinae color a die praeterito rubicundus apparet; experimento Helleri microscopioque sanguinis corpuscula inveniuntur. Quantitas albuminis valde crevit ita ut a sex partibus vitri reagentis (Reagensglas) quinque occupet.

$\frac{20}{11}$. Aegrotus tussi sicca vexatur; auscultatione susurri crepitusque in pectore animadvertuntur. Acidum nitricum potibus admiscetur. Vespertino tempore mediocre oedema pulmones invadit, quod sex dosibus flor. Benz. gr. V. p. d. cedit.

$\frac{22}{11}$. Status idem nisi quod aegrotus de sensorio oppresso queritur.

$\frac{23}{11}$. Noctu aegrotus strepitu aurium et doloribus capitis intermittentibus turbatur, per diem dormiendi cupidine capitur neque tam alacer est quam antea. Interdum rubor circumscriptus malas invadit. Sonus cordis puri sunt et clari. Motus cordis acceleratus, pulsus mollis debilisque.

$\frac{26}{11}$. Diffusa dermatitis erisypelatosa partem superiorem externam femoris dextri et internam sinistri occupavit, quae permagnos dolores affert et valde madet. Ca-

taplasmata aquae plumbi, vinum, ferrum lacticum adhibentur.

$\frac{2}{12}$. Collapsus paulatim progreditur, dum oedema ex prominentibus corporis partibus cedit et in eas, quae ad superficiem corporis inferiorem spectant, vehementer transit. Extremitates superiores faciesque oedemate vacantes macrescunt. Aegroto, qui ventre est suppresso, inf. spec. lax. St. Germain datur.

$\frac{5}{12}$. Finis soni ascita oppressi in linea mediana prope umbilicum animadvertitur.

$\frac{9}{12}$. Aegrotus rursus de capitis doloribus, de perpetu aurium, de scintillatione oculorum queritur et in profundum soporem incidit, sed dosibus vj. flor. Benz. per horam bis datis bene se habuit ut antea.

$\frac{25}{12}$. Anasarca et ascites processerunt, et finis soni ascita oppressi in linea mediana 1″ supra umbilicum animadvertitur. Dejectiones faecum valde retardatae majoribus tart. depur. dosibus simul cum pilulis Aloës et sapon. Jalap. excitantur. Symptomata uraemicae intoxicationis desunt, tussi aegrotus non jam laborat.

1862 $\frac{12}{1}$. Urinae permagnam sanguinis et albuminis copiam secum fert. Praeter singulos fibrini cylindros recentes, quibus cellulae epiteliales satis incolumes adhaerent, detritus granulosus, corpuscula sanguinis, fragmenta cylindrorum hyalinorum pallidorum cum adipis guttulis reperiuntur.

$\frac{4}{2}$. Status idem. Interdum permagna dyspnoea et vomitus aegrotum turbant.

$\frac{2}{3}$. Status idem.

$\frac{7}{3}$. Aegrotus temporis pomeridiani hora tertia horripilatione correptus est, quae quinta hora evanuit. Praeterea permagnis femoris et pectoris doloribus vexatur.

$\frac{8}{5}$. Matutino tempore pulsus 104, respirationes 44, temperatura 40,3, vespertino tempore pulsus 92, temperatura 39,6. Tussis minima sputa nulla.

$\frac{9}{5}$. Temperatura 37,8, per noctem sudores mediocres profluunt.

$\frac{11}{5}$. Febris plane decessit. Urinae excretae copia ex diebus nonnullis paulum aucta est. Conferatur tabella.

$\frac{28}{5}$. Ad altissimum gradum ascites pervenit, aegrotus propter alvi intumescentiam permagnam surgere non potest et tristi conditione universali sua ad summam desperationem adductus vim vitae suae afferre vult. Quam ob rem punctio abdominis, quam aegrotus vehementer expetebat facta est. Liquoris ascitae emittuntur 14,300 CCtmr., cujus pondus specificum 1012. Acido nitrico adjecto tota liquoris copia in vitro reagente coagulatur.

$\frac{29}{5}$. Aegrotus post punctionem perbene se habuit neque vires eum defecerunt. Respiratione liberata magnum sibi ademptum esse onus aegroto videtur. Quamquam liquor ex abdomine emissus est hepar eundem locum tenet.

$\frac{7}{6}$. Aegrotus non valde collapsus est, quamquam abdomen rursus extenditur magnamque liquoris copiam ei inesse percussione probatur. Ex quinque diebus decoct. cort. Chin. (℥β — ℥vj) cum tartar. depurat. ʒβ per binas horas cochlear ordinatur.

$\frac{2}{7}$. Ascites et oedema totius corporis brachiis et facie exceptis ad eundem gradum pervenerunt, quem antea tenuerunt. Thorax motibus quibusdam fluctuosis trepidantibusque in regione cordis afficitur, qui 2″ lati a

sterno usque ad partem sinistram inferioremque thoracis animadverti possunt. Manubrium sterni oppressum sonum praebet, percussio corde oppressa etiam trans dextrum sterni marginem auditur, et 15½ Cmtr. latitudinis habet, manubrium sterni superiorem finem praebet, cordis sonus obtusus nullo strepitu audito. Hydropi pericardii emplastrum vesicans applicatur.

$\frac{17}{7}$. Inflammatio, quae emplastro illo effecta erat, cutem jamjam reliquit, percussio corde oppressa ½″ solum dextrum sterni marginem transit. Mixt. Frank. usque ad diem XX. mens. praeteriti data est, nunc

℞ Extr. Chin. fusc. ʒij.
Aq. Menth. pip. ℥iß.
Syrup. cinn. ℥ß.
D. S. 4 × p. d. cochlear ¼ ordinatur.

$\frac{24}{7}$. Percussio corde oppressa dextram lineam parasternalem non transit, motus illi fluctuosi in regione cordis minimi tantum animadvertuntur, quantitas urinae paulatim aucta, urinae color clarior est badiusque.

$\frac{6}{8}$. Constitutio aegroti miro modo in melius vertitur. Oedemate a toto corpore recedente, rhagadibus excoriationibusque femorum et crurum cicatrices inductae sunt. alvus mollior est et collapsa, albuminis copia in urina valde est minuta, sedimento nulli insunt cylindri fibrini.

$\frac{20}{8}$. Aegrotus magis magisque valetudinem recuperare videtur, abdomen molle tenueque, neque ascites percussione probari potest. In pedibus malleolisque solis oedema parvum reperitur, in femoribus et cruribus nullum. Alvi cutis rugas et plicas ostendit, retis Malpighi rupturae macularum albidarum formam praebent. Aegrotus de-

coct. Chin. ut supra accipit. Simulque, quum appetitu bono sit, victus ei offertur largus nitrogenioque abundans.

$\frac{2}{9}$. Aegrotus nunc ita validus est, ut post unius anni aegritudinem quotidie per complures horas lectum relinquere possit, atque bona utatur constitutione. Extremitates inferiores paulum modo intumescunt.

$\frac{5}{9}$. Membranae mucosae quae videri possunt et malae satis rubrae sunt, thorax bene convexus, quod quidem in latere sinistro magis animadvertitur quam in dextro, respiratione aequaliter beneque tollitur, in regione cordis undulationes, quamquam non ita magnae apparent, animadvertuntur et validissimae quidem in spatio intercostali III et IV.

In sinistra parte thoracis superioris sonus percussionis clarior est et altior. Percussio corde oppressa a tertia costa incipiens cum percussione hepate oppressa conjungitur, ad dextrum latus versus usque ad dextram lineam parasternalem pervenit, ad sinistrum latus versus lineam parasternalem sinistram paulum modo transit. Cordis ictus sentiri non potest, sed diffusa sola thoracis concussio. Pulsus arteriarum carotidum oculis animadverti potest. In auscultatione cordis prior sonus obtusus est, alter elatus. Item alter aortae sonus valde auctus; arteriae pulmonalis sonus alter vix potest audiri. Arteriae radialis pulsus maxime plenus, frequentia 84. Strepitus respirationis in thorace anteriore omnino vesicularis, percussio hepate oppressa ab inferiore quintae costae margine incipit, in linea parasternali paulum altius quam in linea sternali, altitudine $10\frac{1}{2}$ Cent., in linea

mammillari eadem altitudine est qua in linea sternali, latitudine 8 Cent., modo, in linea axillari in margine costae sextae inferiori latitudine 10 Cent. Integumenta alvi valde collapsa. Sonus percussionis pulmonum in thorace posteriore normalis; strepitus respirationis in partibus inferioribus tenuior quam in superioribus, ubique autem auditur respiratio pura et vesicularis, in dextra parte inferiore rhonchi audiuntur. Femora valde macruere sine ullo oedemate. In cruribus multae cicatrices partim rotundae partim vastae pigmentosaeque inveniuntur. Oedema dorsi pedis et malleolorum vix animadverti potest. Urinae secretio abundans, color flavus, reactio acida. Pondus specificum 1015. In sedimento urinae microscopio indagato neque coagula fibrini videntur neque epitelia ex canaliculis uriniferis.

Tabula,

Qua copia urinae per XXIV horas excretae pondusque specificum acuratius delineatur. *)

Die	mens. April.	pond. spec.	copia urinae CCtmr.
X	—	1020	630
XI	—	1021	690
XII	—	1021	630
XIII	—	1021	700
XIV	—	1021	790
XV	—	1019	780

*) Propter nimis longum aegritudinis decursum copia urinae excretae ponderisque specifici in iis morbi stadiis solum, quae punctionem abdominis anteeunt aut sequuntur, delineata est.

Die	mens. April.	pond. spec.	copia urinae. C. C. M.
XVI	—	1020	760
XVII	—	1021	710
XVIII	—	1020	890
XIX	—	1019	830
XX	—	1019	780
XXI	—	1019	820
XXII	—	1019	790
XXIII	—	1019	840
XXIV	—	1020	710
XXV	—	1020	710
XXVI	—	1019	745
XXVII	—	1019	770
XXVIII	—	1019	710
XXIX	—	1019	780
VI	mens. Maj.	1018	890
VII	—	1017	1010
VIII	—	1017	1220
IX	—	1018	750
X	—	1017	1120
XI	—	1017	900
XII	—	1016	1120
XIII	—	1015	1130
XIV	—	1015	1460
XV	—	1013	1800
XVI	—	1015	1490
XVII	—	1015	1400
XVIII	—	1015	1410
XIX	—	1016	1480
XX	—	1017	1500

Die	mens. Maj.	pond. spec.	copia urinae C. C. M.
XXI	—	1018	1360
XXII	—	1017	1200
XXIII	—	1017	970
XXIV	—	1018	860
XXV	—	1020	900
XXVI	—	1019	950
XXVII	—	1018	990
XXVIII	—	1018	910
XXIX	—	1015	1850 *)
XXX	—	1016	1080
XXXI	—	1019	960
I	mens. Jun.	1019	700
II	—	1019	610
III	—	1019	920
IV	—	1019	1060
V	—	1018	650
VI	—	1017	840
VII	—	1017	730
VIII	—	1017	950
IX	—	1016	650
X	—	1016	750
XI	—	1017	890
XII	—	1016	920
XIII	—	1016	970
XIV	—	1015	790
XV	—	1015	810
XVI	—	1016	840
XVII	—	1016	770
XVIII	—	1016	880

*) Hoc die punctio facta est.

Epicrisis.

Morbus Brightii saepissime medico occurrit; Bright Londini quotannis quingentos homines morbo illo perire contendit, nec minus in nosocomio Holmiensi Malmsten inter 1620 negrotos 69 invenit, qui morbo Brightii erant affecti; insuper Frerichs morbum illum saepius etiam inveniri posse dicit quam putetur ob eam quidem rationem, quod nullus morbus tam facile ad falsam diagnosin ducat quam morbus Brightii, si in decursu hydrops non oriatur. In regionibus humidis locisque demisse sitis, praecipue in litoribus marium septentrionalium morbus ille saepissime invenitur, neque tamen incolis regionum mediterranearum et meridianarum omnino parcit. In omnibus quidem hominum classibus observatur; praecipue tamen plebem afficit, quod illi homines maxime ea, quae renes afficiunt, subire coguntur. Praecipue aurigas, operarios, piscatores nautasque invadit. Quod attinet ad sexum, omnino viri magis morbo illi subjecti sunt quam feminae, quae res eo efficitur, quod viri illis, quae morbi Brightii causae sunt, rebus magis quam feminae objecti sunt. Causarum, quae mortum excitant, frigus et humor, qui diu cutem aggrediuntur, primum locum tenent. Maximique praeterea abusus spirituosorum est momenti, quod quidem experientia magis quam physiologice probari potest. Interdum, sed non saepe, morbus medicamentis

diureticis, ut Cantharidibus, Cubebis, Balsamo copaivae oriri videtur, saepe etiam diuturnas supperationes, cariem, ossium necrosin complicat. Nonnunquam etiam dyscrasiis, quae jure ita nominantur, ut arthritide, rhachitidi, syphilidi scrophulosi se aggregat.

VITA.

Ego *Carolus, Adolphus Bernigau* natus sum in Saxoniae provinciae vico Martinicampo die XII mens. Apr. a. h. s. XXXIX. patre *Carolo*, matre *Fanny*, e gente *Steuber*, quos adhuc superstites pio gratoque animo veneror. Fidem confiteor evangelicam. Primis literarum elementis imbutus paedagogium Halense et deinde gymnasium Erfurtense per octo annos frequentavi. Maturitatis testimonium nactus paschali tempore a. h. s. LVIII. almam adii Georgiam Augustam, ubi ab Ill. *Waitz* t. t. prorectore magnifico in numerum civium academicorum receptus et ordini medico adscriptus sum. Quatuor semestribus peractis Berolinum me contuli, ubi duo semestria in litteras medicas incubui. Paschali tempore ann. h. s. LXI. hanc almam Gryphiam petii, cujus scholis hujusque adfui.

Praeceptoribus usus sum hisce:

Ill. *Bartling:* de botanice.

Ill. *Henle:* de osteologia et syndesmologia: de anatomia speciali.

Ill. *R. Wagner:* de zoologia.

Ill. *Marx:* de pathologia et therapia generali.

Exp. *Teichmann:* de anatomia auris.

Ill. *Dove:* de physice experimentali.

Ill. *Mitscherlich:* de chemia anorganica.

Cel. *Schneider:* de chemia organica.

Ill. *Michelet:* de logice.

Exp. *Helfferich:* de physiologia et anthropologia.

Ill. *Rose:* de mineralogia.

Exp. *Bergson*: de encyclopaedia medicinae.

Ill. *Reichert:* dux mihi fuit in cadaveribus rite dissecandis.

Ill. *Mitscherlich:* de materia medica; de medicamentis excitantibus.

Exp. *Gurlt:* de chirurgia generali et speciali.

Cel. *Ziemssen:* de syphilide, de acutis ex anthematibus, de percussione et auscultatione una cum demonstationibus.

Cel. *Laurer:* de arte fascias chirurgicas rite alligandi.

Exp. *Heineke:* de diagnostice chirurgica; de organis genitalibus.

Exp. *Schirmer:* de ophthalmoscopia.

Exp. *Haeckermann:* de medicina forensi.

Ill. *Budge*: de physiologia.

Ill. *Grohé:* de anatomia pathologica speciali, idem dux mihi fuit in cursu de anatomia et histologia pathologica.

Ill. *Pernice:* de arte obstetricia, et de morbis feminarum; idem mihi dux fuit in clinico obstetricio.

Ill. *Ruehle:* de pathologia et therapia speciali, de morbis nervorum, de psychiatrice generali; idem mihi dux fuit in clinico medico et clinico psychiatrico.

Ill. *Bardeleben:* de akiurgia, de ophthalmiatrice, de fracturis et luxationibus, de herniis, idem mihi dux fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus instiuendis atque in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Quibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas atque semper gratum animum cinservabo.

THESES.

I.

Ovari tumor cysticus compositus et tumor colloideus idem significant pseudoplasma.

II.

Methodus galvanocaustica antuponenda est omnibus methodis ad uteri polypos removendos.

III.

Oculi morborum therapia nulla nisi topica.